



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom: A. V: 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-  
cinum Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponendi  
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et  
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.

Disputatio Theologica,  
DE  
*ARBITRIO HOMINIS, EJUSQUE*  
*libertate & viribus;*

Cujus subjectas theses  
Deo benè juvante,

P R Æ S I D E

JOANNE MOLTHERO  
SS. THEOLOGIAE DOCTORE ET  
Hebræarum literarum in inclyta Academia  
Marpurgensi Professore; pro virili respon-  
dendo propugnare studebit

*M. EBERHARDUS MESOMY-*  
*lius VVetteranus Hassus.*

In auditorio Theologico VI. nonas Julii, hora consueta.



*Marpurgi, typis Pauli Egenolphi. 1596.*

*Ans Hi 6*



REVERENDO, STRENUO, AN-  
TIQVA NOBILITATE INSIGNI, SPLENDORE  
virtutum illustri, eruditione, omnibus certè numeris absoluta,  
excultissimo, multoq; rerum usu praestantissimo:

Dn. VVILHELMO ab Denhausen/Teutonici ordinis universali Com-  
mendatori, artium, facultatum, cum primis Theologiae Mæcenati  
promptissimo: Domino suo Reverendo ac strenuo, &c.

hasce theses Theologicas submissè  
offert:



N Africa perhibent solidas ex aere columnas  
Romulidas medio constituisse foro.  
Iusticia populo quod monstraverit artem,  
Et posito cives rexerit ense suos.

Pone viro statuas, Germania, pone colossos,  
Guilhelmumq; supra sidera summa vehe.  
Nemo illo melior, rigidiq; tenacior equi,  
Major & in summis artibus esse potest.  
Quicquid agit, prudenter agit, cernitq; futura,  
Ipsa vito pietas fila sequenda parat.]  
Pelides veluti verbi cœlestis honorem  
Asserit, & mira religione fovet.  
Maxima pars hominum nebulas sectata jocosq;  
Æternis præfert commoda vana bonis.  
Aeterni statuo monumentum nominis illi,  
Tempus edax ubi nil, quod sibi sumat, habet.  
Vile quidem donum, sed ab ima mente profectum,  
Vires ingenii quod peperere tibi.  
Respice pacato, sed respicis, ore clientem,  
Munus & hoc placida suscipe mente; capis.  
Talis es in cunctos, quod es ipse piusq; bonusq;  
Qui pietate boni, qui bonitate pii.

Eberhardus Mesomylius Respa



*Disputatio Theologica,*  
DE ARBITRIO HOMINIS, EJUSQ;  
libertate & viribus,

T H E S I S I.



*N* tractatione de arbitrio hominis ὁ μὲν ὀνομαζομένης primū omnium probè excutienda est. Cū enim illa nonnunquā predicetur de nobilissimis duabus animæ rationalis partibus, nimirum cognoscente & appetente: Nonnunquam etiam de earum viribus & facultatibus, nimirum mentis iudicio & voluntatis electione, facile non observantibus prestigia offundi possunt.

2. Quod Latinis est arbitrium, sacra scriptura vocabulis mentis & cordis exprimunt: Quæ non tantum intellectum & voluntatem, sed eorundem quoq; vires & ἐνεργείας significant.
3. Nobis igitur hominis arbitrium esto facultas animæ rationalis, qua mens de re proposita iudicat, & voluntas, prout mens iudicavit, eligit vel avertatur.
4. Hinc ea in arbitrio nostro esse, & arbitrio nostro fieri dicuntur, quæ nostro iudicio & electioni subjacent, adeoq; in potestate nostra sunt: Et arbitrii sui is esse dicitur, qui sui juris & potestatis est, nec impeditur, quò minus id agat, quod ratio suadet, & voluntas expetit.
5. Cuicunq; igitur naturæ mens & voluntas convenit, eidem quoq; convenit arbitrium: quanquam non in omnibus actionibus, sed in ijs tantum, quæ cum deliberatione & delectu suscipiuntur.
6. Unde brutis animantibus arbitrium non tribuimus: Trahuntur enim sensu, non ratione. Quin etiam ea, quæ impulsu naturæ iudicamus sine appetitione, quæq; appetimus aut fugimus sine prævia mentis deliberatione, simpliciter sub arbitrium non cadunt.
7. Affectiones arbitrii duæ sunt: Obligatio & Libertas. Obligationem quibus-

quibusdam necessitatem appellare placet, non quidem coactionis sed immutabilitatis.

8. Obligatio est arbitrii affectio, qua illud ad certam & immutabilem normam, secundum quam iudicet & eligat, obstringitur & obligatur.

9. Normae iudicij sunt ipsa notitia naturales in prima creatione impressa & lex divina. Norma electionis est recta ratio & sani iudicij determinatio.

10. Mens enim obligatur ne aliter, quam secundum ordinem naturae & verbum Dei iudicet, voluntas autem ut recto mentis iudicio obtemperet, nec aliò se rapi ferriq; sinat.

11. Huic obligationi contraria est effrenis licentia omni lege soluta, vagans more beluarum, sine notitia gubernante & ordine obligante.

12. Quae licentia vulgò quoq; libertatis (à necessitate) nomine vocatur, sed quae cum natura hominis non stare, sed ne quidem in Deo locum habere possit.

13. Semper enim mens ad aliquam normam respectat, secundum quam & ipsa iudicet & voluntatem gubernet. Voluntas quoq; semper observat determinationem rationis, secundum quam externis membris actionem imperat.

14. Hinc Bernhardus in lib. de gratia. & lib. arb. Habet, inquit, voluntas, quocunq; se volverit, comitem rationem, non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absq; ratione moveatur.

15. Respectu igitur notitiarum & ordinis, quibus arbitrium obligatur & gubernatur, non hominem tantum, sed ipsum etiam Deum & beatos Angelos liberum arbitrium habere negamus.

16. Et haec quidem de obligatione: Libertas arbitrii est ipsa facultas agendi, nimirum mentis, ut cognoscat, discernat & iudicet: Voluntatis autem ut eligat, vel averseatur.

17. Haec arbitrii libertas est duplex: Interior & exterior: quarum priorem in scholis libertatem à coactione (vel etiam à necessitate, quatenus necessitas pro coactione & violentia accipitur) posteriorem libertatem à miseria, hoc est, peccato & poena, vocare solent.

18. Libertatem arbitrii interiorem vocamus motum illum volunta-

rium & spontaneum, quo arbitrium hominis liberè & sponte, sine coactione, vi insita quadam ac naturali *δυνάμει* *ἢ* *αἰσθησει* movetur & agit.

19. Non enim quemadmodum lapis movetur aliunde impulsus, aut ovis fugit conspecto lupo: sic quoque mens & voluntas ab externo aliquo objecto primum moventur & agunt, sed *ἐκ φύσεως* naturali quadam & congenita inclinatione, habentque sui motus principium in sese.

20. Quanquam interim libenter concedimus, externo aliquo objecto mentem flecti posse, ut sic potius, quam aliter iudicet: Et voluntatem ut hoc potius, quam aliud eligat: sed hac consideratio pertinet ad libertatem exteriorem.

21. Quandocunque igitur arbitrium in se consideratur, nulla ratione objectorum habita, semper illud est liberum, quia non violenter & coacte sed liberè ex sese movetur. Et hic agendi motus in arbitrio tam liber est, ut nulla vi externa cogi, hoc est, promoveri vel impediri queat.

22. Nec hanc libertatem in nobis divina providentia tollit, sed conservat potius, Act. 17. In ipso vivimus & movemur & sumus.

23. Quanquam autem hæc libertas à coactione non minus in Deo sit, quam in homine: In eo tamen differt, quod eam Deus habet à semetipso, ideoque *ἐκ φύσεως* est: Homines autem à Deo, unde tantum *ἐκ φύσεως* illis tribuitur.

24. Luculentam igitur injuriam Ecclesiarum nostrarum Doctoribus Bellarminus facit, cum voce plus quam tragica eos incusat, quod arbitrii libertatem tollant, ipsam naturam violent, & seipsos non solum beluarum similes, sed omnino beluas rationis expertes profiteantur.

25. Hoc enim respectu liberum arbitrium adeo non negamus, ut qui neget eum cum August. hypog. 3. non esse catholicum dicamus.

26. Cum igitur queritur: Anne homo liberum arbitrium habeat, illud de libertate interiore seu motus accipi non debet. Ea enim hodie extra omnem controversiam aleam posita est.

27. Sequitur de libertate arbitrii exteriori. Ea est facultas qua hominis arbitrium rectè agit, cum nimirum iudicium mentis & electio voluntatis cum ordine nature & norma legis divine exactè congruit. Hinc libertas rectitudinis vocari potest.

A 2

28. Dif-

28. Differt autem hac libertas externa ab interiore magno intervallo: Libertas enim interior mutari non potest: & quanquam ad utrumq; oppositorum equaliter se habeat, semper tamen eadem manet, & cum arbitrio simul ponitur & tollitur. At libertas exterior seu rectitudinis mutari potest.
29. Et sic quoq; differt obligatio à rectitudine arbitrij. Nam illa perpetuò manet: hac verò non item.
30. Nam si obligatio simul cum rectitudine interiret, nullo reatu humana natura involveretur.
31. Rectitudini arbitrij contraria est servitus. Ea est agendi modus depravatus, quo mens quidem judicat & voluntas vult: At non secundum normam & ordinem obligantem.
32. Quatenus igitur actiones arbitrij discedunt à norma legis divinae obligante, eatenus arbitrium servum vocatur, juxta illud Christi, Joan. 8. v. 34. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Et Rom. 6. v. 16. Cui vos exhibetis servos ad obediendum, ejus servi estis. 2. Pet. 2. v. 19. Servi sunt corruptionis, à quo enim quis superatus est, ejus & servus est.
33. Arbitrium igitur hoc sensu consideratum est instar equi rectore carentis, qui quidem incedit, at non eam viam quam debebat.
34. Quando igitur Lutherus arbitrium hominis (contra Erasmus) servum vocat, non respicit ad libertatem motus, nec ad libertatem rectitudinis, sed ad pravitatem arbitrij in modo agendi, in rebus spiritualibus, contractam.
35. Injuriam igitur Luthero faciunt, quia appellationem illam ad libertatem motus & rectitudinis in rebus civilibus detorquent. Et hac distinctione observata nullo negotio discutuntur nebula Bellarmini operosè disputantis contra appellationem servi arbitrij, quam temerariam & ἄνευ νόμου vocat, li. 4. de grat. & lib. arb. c. 6.
36. Ita quando idem liberum arbitrium hominis post Adæ peccatum amissum & extinctum esse, ac rem de solo titulo & titulum sine re, figmentum à Satana in Ecclesiam invectum esse dicit: respicit ad libertatem rectitudinis in actionibus spiritualibus, quæ in statu corruptionis antequàm fiat regeneratio, nulla est.



37. Aut igitur Tridentini patres non intellexerunt id, quod anathemate dignum iudicarunt, aut certe animi morbum adversus Evangelij doctrinam anathematismis suis prodere voluerunt, sess. 6. can. 5.

38. Libertas rectitudinis quoque est in Deo, sed à seipso, perfecte & immutabiliter, determinata tantum ad bonum. Quicquid enim Deus iudicat, sapienter, iuste sancteque iudicat: Et quicquid vult, sapienter, iuste sancteque vult, ac quia non alius quam sapiens, iustus & sapiens esse vult & potest, merito ἀλεξούσιον vocatur.

39. At modum bene agendi quem arbitrium nostrum habet, à Deo habet & initio mutabilem accepit, olim autem in electis confirmabitur, sed in gradu perfectionis infinito intervallo infra Deum posito. Et quamvis homo alicubi ἐξοίαν πρὸς τοῦ ἰδίου δελήματ' habet 1. Corin. 7. malè tamen ex eo colligit Bellar. hominem ἀλεξούσιον esse.

40. Omnis igitur questio, quæ hodie de libero arbitrio controversatur, tantum est de rectitudine, hoc est, queritur, an liberum arbitrium eam facultatem & potestatem habeat, ut mens rectè iudicare & voluntas rectè velle possit, secundum ordinem naturæ & normam legis divinæ? Et unde facultatem illam habeat, & quousque illa se extendat?

41. Diligenter igitur observandum est, quo respectu arbitrium liberum vocetur, tum ad equivocationes tollendas, tum ad controversiæ statum rectè formandum.

42. Nequaquam igitur patres Tridentini satis candidè in decretis & canonibus suis egisse iudicandi sunt, quòd arbitrij libertatem propugnant, non tamen exprimunt, quo sensu id faciant, vide sess. 6.

43. Libertas arbitrij quo ad rectitudinem æstimanda est cum ex objectis, in quibus arbitrium occupatur, tum ex diversis statibus, in quibus homo consideratur.

44. Objecta liberi arbitrij sunt hominum actiones deliberatæ & voluntariæ: Eaque vel morales vel spirituales sunt. Naturales enim propriè sub arbitrium non cadunt.

45. Morales ea sunt, quæ rationis & sensuum iudicio subjacent, & ad externam morum disciplinam & civilem vel æconomicam vitam societatem pertinent, ut sunt artes & disciplina, leges & pœna, honestum

Distinctio Bellar. in naturales, morales & divinas eodem reddit. Morales

nam vocat, quæ  
tantum Ethica  
sunt.

stum & turpe civile: *Mechanica, Agricultura.*

46. Spirituales (quæ & Theologica) sunt, quæ non rationis & sensuum iudicio suscipiuntur, sed ex præscripto verbi divini: & propriè rationem cultus divini habent: quales sunt ad Deum converti, querere salutem, credere promissioni Evangelij, &c.

47. Hæc objecta, ut natura sua diversa sunt, ita non eodem modo arbitrium hominis circa illa se habet. Quid enim valeat illud tam in spiritualibus actionibus quàm moralibus, ex consideratione diversorum hominis statuum plenius intelligitur.

48. Status illi, secundum quos homo consideratur, sunt distinctæ hominis conditiones & usitatè 4. recensentur: I. Integritatis. II. Corruptionis ante regenerationem. III. Regenerationis seu conversionis. & IV. Gloria.

49. Status integritatis vel innocentia, est illa conditio, in qua primi parentes ante lapsum fuerunt constituti, longè felicissima.

50. In eo statu arbitrium primorum parentum verè liberum fuit, non minus circa res spirituales quàm morales.

51. Condiderat enim Deus homines *πρωτοπλαστους Rectos*, Eccl. 15. v. 30. Deus fecit hominem Rectum: Condiderat, inquam, eos ad imaginem & similitudinem suam, quæ potissimum refulsit in arbitrio, Eph. 4. v. 23. Renovamini spiritu mentis vestra. 24. Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, Rom. 12. v. 2. Col. 3. v. 10.

52. Fulsit enim in mente perfecta sapientia & clara ac firma notitia tum Dei & voluntatis eius, tum rerum creatarum. Potuit igitur mens de qualibet re proposita rectè iudicare, nulla impedita ignorantia vel decepta errore.

53. Voluntas verò ad obediendum iudicio mentis fuit promptissima, cum quo & cordis affectus, & sensuum appetitiones pulcerrima harmonia congruebant. Potuit igitur voluntas externis membris eas actiones imperare, quæ cum lege divina exactè congruerent.

54. Hinc primi parentes pro concreata arbitrij sui *ὀλιγία* non solum externam disciplinam quàm accuratissimè prestare, sed totam omnino legem

legem

legem Dei perfectissimè implere, hoc est, Deum ex toto corde, ex tota anima & ex totis viribus suis, & proximum sicut seipsos diligere potuerunt, Matth. 22. Deut. 6. Lev. 19.

55. Atq; ita coram Deo iusti fuissent non tantum concreata illa innocentia, sed etiam actionum suarum sanctimonia.

56. Nec dubium est, si genus humanum in isto statu integritatis permansisset & arbitrium rectitudinis suæ libertatem retinuisset, singulos homines arbitrij sui facultate plura & majora intelligere & prestare potuisse, quàm omnes Ethici & Physici, imò omnes Theologorum & Philosophorum scholæ docent: Ejus rei specimen dedit Adam, Gen. 2. v. 19. 20.

57. Sed hæc arbitrij rectitudo ac modus benè agendi in primis parentibus non fuit confirmatus, sed mutabilis. Deus enim ab initio cōstituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, ut manum extendere posset ad vitam & mortem, Eccl. 15.

58. Potuerunt igitur ista arbitrij <sup>libertatem</sup> excidere, ut maxima quoq; ex parte exciderunt. August. in Enchir. c. 30. libero arbitrio malè utens homo & se perdidit & ipsum. Idem Epist. 105. ad Vitalem. Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Quamvis enim supersit adhuc arbitrium tum quoad <sup>libertatem</sup> <sup>libertatem</sup> mentis & voluntatis: Tum quoad <sup>libertatem</sup> <sup>libertatem</sup> cognoscendi & appetendi: Cognitionis tamen & electionis rectitudo & integritas non permansit.

59. Si roges, quo pacto primi parentes blandis persuasionibus seduci potuerint, cum tamen integram facultatem rectè judicandi ac eligendi habuerint? Resp. Id factum esse, quòd mens & voluntas ab illa norma, quam propositam habere debebant, recesserunt: quod sanè fieri potuit, quia modus agendi ad neutrum oppositorum in illis determinatus fuit.

60. Mens judicare debebat secundum normam verbi, Gen. 2. v. 11. De ligno scientiæ boni & mali non comedes: sed illa judicavit ex verbis serpentis, Gen. 3. v. 4. Nequaquam morte moriemini: judicavit, inquam, ex qualitate arboris, quòd lignum esset bonum ad vescendum & pulcrum oculis, aspectuq; delectabile, Gen. 3. v. 6. Cum igitur deerraverit ratio, voluntas quoq; ipsa non aliter quàm errare potuit.

61. Cur autem Deus primos parentes in arbitrij rectitudine non confirmave-

B

firmave-

firma verit, etiam si Christiana pietas merito ignoret. Rom. 9. v. 20. O homo, tu quis es, qui ex adverso responsas Deo? Constante tamen ideo factum negamus, quod Deus illos labi, atq; sic aditum ad lapsum patefacere voluerit. Gen. 1. v. 31. Ps. 5. v. 5. Ez. 18. v. 33. 33. v. 11. 1. Tim. 2. v. 3.

62. Illud enim si statuatur, ea sequuntur absurda, quae Deum ipsum tollunt: Nam ut Euripides inquit: Εὰν Θεοὶ τὴν ἀγαθὴν αἰχμὴν, οὐκ εἶσι Θεοὶ.

63. Dicendum iam est de statu corruptionis ante regenerationem. Sic autem vocamus eam conditionem, quae lapsum primorum parentum secuta est, & complectitur omnes homines nondum renatos.

64. In hoc statu aliqua rectitudo arbitrij in rebus externis & civilibus reliqua est adhuc, sed admodum imbecillis & languida.

65. Fatendum enim est, intellectum adhuc reliquam habere eam facultatem, qua res eas quae rationi & sensibus subiectae sunt, aliquo modo cognoscere, discernere & iudicare possit: quales sunt discrimen honestorum & turpium, &c.

66. In voluntate remansit ea facultas, ut possit eligere & expetere, vel averfari & fugere ea, quae iudicium rationis & sensuum monstrat, & actionem membrum imperare vel suspendere.

67. Atq; in hoc arbitrij statu homo non renatus verbum Dei legere, audire, & meditari potest, non autem ex sese intelligere, vel ex eo fidem concipere. Act. 8. v. 31. Quomodo possum intelligere, si non aliquis ostenderit mihi.

68. Hinc igitur originem traxit, quicquid Philosophi gentilium de virtutibus & vitijs praeceperunt, quicquid item legis Doctores de disciplina & pœnis constituerunt.

69. Pertinent huc quoq; honestae & praeclarae actiones & externa disciplina, quae in sanioribus Ethnicis commendantur: adeoq; iustitia illa carnis, qua non solum Ethnici multi claruerunt, sed quam etiam solam Judaei sectabantur. Rom. 9. v. 31. Mat. 5. v. 20. Luc. 18. v. 9. Tit. 3. v. 5.

70. Quin haec arbitrij facultas, praeter communem sortem, in aliquibus nonnunquam peculiari quodam afflatu divino eximia redditur, ut ea intelligent & inveniant vel faciant, quae vix alius quisquam intelligere vel facere potuisset.

71. Quis

71. Quis enim negat *αὐτομάτῃ* illam & ingenij acumen & industriam in excellentibus artificibus & generosos animi motus in praeclaris heroibus, divinius instillari, etiam non renatis, ad publicam utilitatem. Cic. 2. de Natura Deorum. Nemo magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.

72. Sic Deus Bezaleel implevit spiritu Dei, sapientia, & intelligentia & scientia in omni opere: ad excogitandum quicquid fabrefieri potest, ex auro, argento, marmore & gemmis. Et dedit ei socium Ocholiab ut tabernaculum testimonij & vasa atq; alia omnia ad cultum divinum facerent. Ex 31. v. 2. 3. 6. 7.

73. Sic cum Saul abisset à Samuele, iam designatus rex Israël, immutavit ei Deus cor aliud. 1. Sam. 10. v. 9. & 1. Sam. 11. v. 6. Dicitur spiritus Domini in Saul insilisse, cum insigne aliquod facinus aggressurus esset.

74. Sed id, quod supra diximus, hanc arbitrij libertatem admodum imbecilem & languidam esse, pressius considerandum est. Non raro enim usu venire videmus, ut aliter ratio decernat, quam conveniat: & voluntas à recto rationis iudicio diversum faciat, & quidem longè diversum ab eo, quod ratio dicitur, eligat.

75. Subducenda sunt igitur impedimenta, quibus isthaec in natura superstes rectitudo obnoxia est, quò minus officio suo rectè fungatur.

76. Primum impedimentum est ipsa natura depravatio, qua non solum mentis & voluntatis vires inclinatae & attenuatae sunt, verum etiam affectus cordis à iudicio mentis sic abalienati sunt, ut ipsam mentem de sede sua saepe dejiciant, & infirmam voluntatem secum rapiant ad eligendum vel fugiendum aliquid, quod recta ratio minimè probat.

77. Hinc est illa Medea apud Ovidium querela: Video meliora probog; , deteriora sequor. Et Phedra apud Senecam: Quod ratio poscit, impedit cecus furor.

78. Sanè, mens quidem blandimentis affectuum seducta non raro probat, quae minimè probanda fuerant: Ad sese tamen reversa longè aliter iudicat: ut saepe quod antea factum voluimus, deinde ubi factum est, nolimus & detestemur.

79. Alterum impedimentum est ipsa tyrannis Satana, qui efficax est

in filijs diffidentia, Eph. 2. v. 2. & menti caliginem offundit, flammam cupiditatum auget, & furorem animis inserit, ut homines, quid rectum sit, quid secus, videre nequeant, in gravissima scelera ruant, & in se & alios sæviant. 1. Reg. 22. v. 22. Egrediar & ero spiritus mendax. Joh. 13. v. 27. post bucellam intravit in eum Satan. Luc. 22. v. 53. Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.

80. Tertium est ipsa negotiorum & periculorum moles in tantis vitæ confusionibus, quæ gubernationem discipline turbant & impediunt, Exod. 33. v. 15. Si non tu ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto, &c. Jer. 1. v. 19. Et bellabunt ad versus te.

81. In deliberationibus enim magni sæpè errores committuntur, qui deinde facile corrigi non possunt, nec humana diligentia omnes eventus prospicere potest. 2. Reg. 23. v. 29. Josias implicat se bello non necessario, & in eo perit. Multa etiam incidunt humanis consilijs inextricabilia. 1. Macc. 4. v. 46. Reponunt lapides altaris, donec veniret Propheta, qui de eis responderet.

82. Quartum impedimentum est ipse successus consiliorum & eventus actionum. Sæpè enim Deus consilia & conatus nostros impedit, mutat & infringit, ut res longè aliter succedant & eveniant, quàm à nobis cogitata & instituta fuerint, Genes. 11. v. 4. Venite faciamus, venite descendamus & confundamus, Rom. 1. v. 13. prohibitus sum.

83. Hinc est quod Jer. 10. dicitur: Scio Domine, quod non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos. Qua sententia nostræ infirmitatis admonemur, ut à Deo petamus, recta consilia nobis ostendi & felices eventus dari.

84. Inter hæc ipsa tamen impedimenta manet adhuc deliberatio quædam & delectus actionum & aliqua libertas regendi mores externos in mediocriter sanis.

85. Quod autem arbitrii rectitudinem in rebus spiritualibus attinet, ea in non renatis nulla est, Psal. 14. v. 1. Corrupti sunt & abominabiles facti, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum.

86. Mens enim cæca prorsus est, carens vera Dei rerumq; divinarum notitia, 1. Cor. 1. v. 21. Sapientia hujus mundi non cognovit Deum in sapientia:

piencia sua, 1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea quae sunt spiri-  
tus Dei, stultitia enim illi est & non potest intelligere. Eph. 4. v. 17. Gen-  
tes ambulant in vanitate sensus sui. 18. Tenebris obscuratum habentes  
intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quae in ipsis est, propter  
cacitatem cordis sui. 2. Corin. 3. v. 5. Non sufficientes sumus cogitare ali-  
quid (boni) à nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.  
87. Hinc fit, quòd homines non renati, etiam si verbū Dei audiant, audi-  
tum tamē vel meditatū intelligere non possint, imò, in eo potius offen-  
dant. Job. 6. v. 60. Durus est hic sermo, quis potest eum audire. Act. 17. v.  
32. Quidam irridebant: quidam dixerunt, de hoc iterum audiemus te.  
88. Imò non solum est caca mens non renata, sed etiam Deo prorsus i-  
nimica. Rom. 8. v. 7. Sapientia carnis inimicitia est in Deum. Gen. 6. v. 8.  
& 8. v. 21. Omne figmentum cordis humani tantummodò malum est  
semper à pueritia.

89. Voluntas autem à Deo non solum est aversa, sed etiam in Deum  
contumax & refractaria. Rom. 8. v. 7. Legi Dei non est subiecta, sed neq;  
potest. Rom. 7. v. 23. Video aliam legem in membris meis repugnantem  
legi mentis meae. August. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 15. Voluntas in no-  
bis semper est libera, sed non semper bona.

90. Affectus cordis etiam rationi & voluntati reluctantur. Rom. 7.  
v. 21. Volenti mihi facere bonum adjacet malum. Jer. 17. v. 9. Prævium  
est cor hominis.

91. Et ipsa corporis membra, quae debebant esse arma iustitiae, facta sunt  
arma iniquitatis. Rom. 6. vers. 13. Sepulchrum est patens guttur eorum,  
linguis suis dolosè agebant, eorum os maledictione & amaritudine ple-  
num est, veloces pedes ad fundendum sanguinem. Rom. 3. v. 13. 14. 15.

92. Ideoq; libertatem arbitrij (quoad volūtatē) in rebus spiritualibus  
S. scripturae non renatis adeò detrahunt, ut eos potius seruos pronunciet.  
Joan. 8. v. 34. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati: Venundatos  
sub peccato. Rom. 7. v. 14. & captivatos in lege peccati. v. 23.

93. Et ut in universum omnem de rectitudine arbitrij gloriationem  
tollant, non renatos in peccatis mortuos vocant, qui resuscitandi & vi-  
vificandi sunt. Eph. 2. v. 5. Col. 2. v. 3. quorum corpus peccati destruendum

Rom. 6. v. 6. Externus homo corrumpendus. 2. Cor. 4. v. 16. & caro cruci-  
figenda sit. Gal. 5. v. 24. Ut novus homo creetur ad imaginem Dei. Eph.  
4. v. 24. Et is renovetur de die in diem. 2. Cor. 4. v. 16.

94. Quamvis enim in rebus spiritualibus homo non renatus adhuc  
libertatem arbitrij habeat, quoad motum, nimirum ut agat: (potest e-  
nim reluctari.) Rectitudinem tamen non habet, ut bene agat. Hinc Au-  
gust. in Enchir. c. 30. Qualis queso potest servi addicti esse libertas, nisi  
quando eum peccare delectat. Liberaliter enim servit, qui sui Domini  
voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccatum liber est, qui pecca-  
ti servus est.

95. Et huc respexit idem August. quando arbitrium hominis servum  
& captivum vocat: Ad Bonif. l. 3. c. 8. Non est relictum liberum, sed ser-  
vum & captivatum arbitrium, non valet nisi ad peccandum, non li-  
berum in bono, sed captivatum est: damnabilis ancilla est.

96. Huc quoque D. Lutherus respexit, ut supra monuimus, nec inscitum  
est, quod idem scribit: Liberum arbitrium esse merum mendacium, quod  
exemplo mulieris illius Evangelicae, quò plus à medicis (Erasmo & alijs)  
curetur, eò pejus habeat.

97. Jam igitur Pontificij Doctores dicant nobis, quomodo naturalia  
hominis sint integra, quomodo ratio deprecetur ad optima, volùtas na-  
turâ sit bona, & quomodo homo divina praecepta, quoad substantiam a-  
ctus, implere, & sine dono gratia quodlibet peccatum mortale cavere  
possit, & quomodo rationi cum spiritu sancto conveniat, ut qui obtem-  
perat rationi, etiam obsequatur spiritui sancto?

98. Debat quidem in tam clara Evangelij luce Pontificios horum  
errorum pudere: At Bellarminus non solum testatur, Catholicos suos re-  
centiores non minus quam veteres, eos tanquam dogmata fidei prædica-  
re. l. 5. de grat. & lib. arb. cap. 13. sed ipse quoque ex professo sibi probandum  
sumit hominem in statu naturae lapsae (id est, nondum renatum) libe-  
rum arbitrium habere, (etiam sine fide & sine speciali auxilio l. 5. c. 9.) in  
bono morali eligendo vel malo vitando, sive in praeceptis morum obser-  
vandis, sive prævaricandis, l. 5. ca. 13. Praecepta morum autem sunt, non  
furari, non fornicari, & alia ejusdem generis. li. 4. c. 1.

99. Sed



99. Sed quàm frivolis rationibus utitur: Homo potest peccare, & non peccare. l. 5. c. 14. Est locus premio & pœna. c. 15. Alij sunt boni, alij mali. c. 16. Suus relinquendus est locus objurgationibus, cohortationibus, monitis, consilijs. c. 17. Non frustra dantur à Deo præcepta. c. 19. Nec Deus invidet obedientibus præmia. c. 19. Nec frustra Deus conqueritur de hominis contumacia. c. 20. Nec frustra Deus explorat quid homines facturi sint. c. 21.

100. Hæc quidem omnia suo loco rectè dicuntur, sed malè applicantur: & nunquam efficiunt hominem, etiam gentilem ex natura viribus præcepta morum, quoad substantiam actus, servare & proinde de congruo mereri posse. In hunc enim finem Pontificij defendunt rectitudinem arbitrij in observandis morum præceptis, etiam in non renatis: ut meritum congrui stabiliant.

101. Contendunt enim hominẽ faciendo, quod in se est, mereri de congruo, ut gratia & spiritu sancto donetur, ac deinceps mereri possit, de condigno, vitam æternam.

102. At, quicquid non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. v. 24. Evanescit igitur meritum congrui, quod Bellarminus fundari dicit non in promissione, sed in operis dignitate. li. 1. de justif. ca. 21. Rom. 6. v. 23. Donum Dei est vita æterna in Christo Jesu. Ergo vitam æternam non meremur de condigno.

103. Negat quidem Bellarminus, hominem ex puris naturalibus posse Deum diligere super omnia: quanquam non neget, ita Scholasticos docuisse: sed quanta est impudentia, quòd idem affirmat, hominem plus præstare posse, quàm lex Dei præcipiat, De grat. & lib. arb. l. 5. c. 14.

104. Nos contra asserimus, nullum hominem arbitrij sui viribus legem mandatorum implere, istaq; impletione coram Deo justificari posse. Rom. 3. v. 20. Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Deo, per legem enim cognitio peccati.

105. Lex enim non externam tantum, sed internam etiam obedientiam requirit. Rom. 7. v. 14. Lex spiritualis est. Et substantia actus præceptorum non tantum externam disciplinam, sed internos etiam motus & affectiones animi complectitur. Rom. 7. v. 7. Peccatum non cognovi.

106. Nec

106. Nec, quamvis Decalogus omnes homines obliget, & perfectam ab eis obedientiam efflagitet, eam quoque prestare possunt. Quin quando Deus jubet aut vetat aliquid, quod vires nostras exuperat, non tantum obedientiam requirit, sed etiam nostram nos infirmitatis admonet, ut intelligamus, quid nobis desit, & quid à se petendum sit. Aug. de grat. & lib. arb. cap. 16. Ideò Deus aliqua jubet quæ non possumus, ut noverimus quid ab ipso petere debeamus.

107. Hactenus de statu corruptionis ante regenerationem. Status regenerationis est ea conditio hominis, in qua corruptio natura tollitur, & amissa fractæque vires arbitrij pro statu viatoris (ut loquuntur) instaurantur.

108. Ista rectitudinis arbitrij & natura instauratio regeneratio seu conversio vocatur, & consistit non solum in peccatorum remissione, verum etiam in arbitrij Renovatione; atque hinc est appellatio hominis veteris & novi.

109. Remissio peccatorum est justitiæ Christi, per fidem apprehensa, gratuita imputatio. Ps. 32. Beati quorum remissa.

110. Renovatio est tum corruptionis istius, quæ per peccatum naturam nostram invasit, abolitio, tum novarum qualitarum, seu habituum & motuum infusio.

111. Utramque operatur in nobis, sine nobis, gratia Dei, quæ propterea præveniens, excitans, & præparans vocatur. Concil. Araus. can. 13. liberum arbitrium amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.

112. Eadem quoque gratia utramque in nobis conservat & auget: sed non sine nobis, quæ propterea subsequens, adjuvans, cooperans, & permanens vocatur.

113. Quamvis enim eadem gratia sit, propter diversos tamen effectuum respectus, diversas quoque appellationes sortitur. August. in Echir. c. 32. Nolentem prævenit ut velit: volentem subsequitur ne frustra velit.

114. In primo igitur conversionis momento, gratia operatur sine nobis. Quemadmodum enim, qui à mortuis excitatur, ad vivificationem suam afferre nihil possunt, sic arbitrium hominis depravatum, ad salutem suam recuperationem nullas prorsus vires afferre potest. Jer. 13. v. 23.

- Si po-

Si potest athiops mutare pellem. Syr. 17. v. 13. Non possumus cor ex lapide facere carneum.

115. Quid enim arbitrium nostrum ad renovationem suam afferat? cum illud potius pro congenita sua pravitate spiritui S. reluctetur. Mat. 12. v. 34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali. Matth. 23. v. 37. Volui congregare, &c. sed noluisti.

116. Rectè igitur à Luthero dictum est, voluntatem hominis in conversione se merè passivè habere: quod de primo conversionis actu & momento dictum est.

117. *Ἐνέγγεια* enim arbitrij cum spiritu S. in prima conversione nullam agnoscimus. Arbitrium enim ad conversionem non habet rationem causæ efficientis, vel cooperantis, sed subjecti, quod convertendum est.

118. Non tamen ex eo sequitur arbitrium hominis nihil differre à trunco vel saxo; eò quod ad vivificationem sui nihil virium habeat. Habet enim *ἔνδεξιόν*, ut converti possit, & caelestium donorum spiritus S. capax fieri: quæ in truncum aut saxum non cadit.

119. Et hucrespiciunt veteres Ecclesiæ Doctores, quando liberum arbitrium tantoperè prædicant: quorum testimonia multa congescit Bell. li. 5. de grat. & lib. arb. c. 25. & seqq. & li. 6. c. 11. Nam capacitatem libertatis ejus intelligunt; quod nimirum conversionis capax sit. Nos capacitatem illam suprâ libertatem interiorem seu motus vocavimus, quæ arbitrium per gratiam Dei ad bonum flecti, & reverà liberum (ad quod creatum est) fieri potest.

120. At, postquam conversio jam in nobis inchoata, hoc est, mens illustrata, & volûtas aliquo modo sanata est, arbitrium non passivè tantum se habet, sed passivè simul & activè. August. de corrept. & grat. c. 2. Qui filij Dei sunt, aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant. De dogmat. Eccles. c. 32. Deus agit in nobis, ut velimus & agamus, ut & nos cooperatores simus gratiæ ejus.

121. Operanti enim spiritui sancto, renati jam cooperantur, ac propterea *ὀυεργοὶ* deus sunt. 1. Cor. 3. v. 9. Job. 15. v. 4. Sicut palme. v. 5. sine me.

122. Ad actionem igitur spiritualem efficiendam in renatis duplex

C

*ἐνέγγεια*

- ἐπιγεια concurrens, nimirum S. S. & virium arbitrij iam sanati.
123. Nunquam autem in hac vita ad eam regenerationis ἀναμν̄ν pervenire licet, ut arbitrium purè activè se habeat. Nam 2. Cor. 3. v. 5. Sufficiens nostra ex Deo est. 2. Cor. 5. v. 16. Is qui intus est, renovatur de die in diem. 1. Cor. 15. v. 10. Non ego, sed gratia Dei mecum.
124. Nam ablata gratia (quæ excuti potest. Col. 1. v. 23. πὴν μὲλ' ἀνὴρ μὲν οἶ) & amisso regenerationis beneficio, (quod amitti potest. Heb. 6. v. 4. Qui semel illuminati sunt) ipsa quoq; arbitrij sanatio & ἐπιλαΐας eius instaurationis deficit, non aliter quàm, sicut ablata face, qua lucem intulerat, tenebræ redeunt.
125. Quando autem gratiam Dei vel spiritum sanctum conversionē seu regenerationem nostram operari dicimus, nequaquam id violenter fieri sentimus, ut quando figura aliqua cera imprimitur, vel saxo inciditur, sed cum mentis cogitatione, & voluntatis electione.
126. Nec intelligimus conversionem fieri immediatè per raptus Enthusiasticos, visiones aut somnia, neq; per arcanam aliquam inspirationem & suasionē, quæ non conjuncta sit cum externa predicatione, (quod Bell. sentit li. 6. de grat. c. 2. Itaq; c. 15. negat per tractum patris. Joh. 6. intelligendam esse predicationem externam) sed mediante publico docendi ministerio: quod est officina S. S. per illud enim efficax est, & conversionem ac salutem nostram operatur. 2. Cor. 5. v. 18. Dedit nobis ministerium reconciliationis. v. 19. Posuit in nobis verbum reconciliationis. 2. Cor. 4. v. 1. Ministri, dispensatores mysteriorum Dei. 1. Pet. 1. v. 23. Renati non ex semine. Tit. 3. v. 5. per lavacrum regenerationis.
127. Adeò, ut ne unus quidem homo dari possit, quem Deus converterit absq; verbo predicato, lecto, audito, cogitato. Hinc Rom. 10. v. 14. & seqq. catena salutis nostræ texitur, cuius annuli sunt, missio, predicatio, auditus, fides, invocatio, salus.
128. Verbum est medium per quod pater trahit, ut veniamus ad filiū. Joh. 6. v. 44. & filius revelat patrem. Mat. 11. v. 27. Per quod Deus dividit mensuram fidei. Rom. 12. v. 3. per illud accipimus quicquid habemus. 1. Cor. 4. v. 7. Per illud aperitur ostium fidei. Act. 7. v. 27. & aperiuntur corda. Act. 16. v. 14. Vivus ac efficax est sermo Dei. Heb. 4. v. 12. Evangelium est potentia Dei salutaris. Rom. 1. v. 16.

129. Nec propterea tribuimus verbo vim aliquam magicam, qua illud audientes convertantur, sed omnis efficacia verbi est à spiritu sancto, quam exerit ille, dum verbum auditur, cogitatur, & cum gaudio accipitur.

130. Nec verò in uno temporis puncto aut momento nostra regeneratio perficitur, & sua arbitrio rectitudo restituitur: sed de die in diem proficimus, & per gradus suos & incrementa ad perfectionem contendimus, ad cuius metam perveniemus in regeneratione. Matt. 19. v. 28. Quando omnem vetustatem carnis deposuerimus, & corruptum hoc induerit incorruptionem. 1. Cor. 15. v. 54.

131. Sunt quidē in hac quoque vita, qui perfecti vocantur. Ph. 3. v. 15. Quicumque perfecti sumus: quod tamen non eo sensu fit, ac si metā perfectionis attigissent, sed quod adhuc non simulato pietatis studio, destitutum brachium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu, persequantur, ut habetur ib.

132. Sæpè nostræ conversionis initia sunt adeò remissa & tenuia, ut etiā à Deo nobis prorsus alieni videamur, & quasi cum desperatione luctantes, nullas S. S. motiones sentiamus. Ps. 18. v. 5. Circūdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Sed firmiter statuendum est, hoc certum argumentum esse præsentia & efficacia S. S. & nostræ conversionis, quod nobis ipsis displicemus, gratiam Dei sitimus, & consolationem expetimus.

133. Cum igitur regeneratio nostra, quæ sine nobis cœpta est, non sine nobis crescat, augeatur & retineatur, ad ea media sedulo nos accommodare debemus, per quæ gratiam suam nobis Dominus largitur, iuxta illud: Convertite me Domine, & convertar. Jer. 31. v. 18. Trabe me post te, & curremus. Cant. 1. v. 4.

134. Inter media enim pœnitentiæ exercitia, quando videlicet pulsamus, petimus, oramus, luctamur, conamur, currimus, &c. Regeneratio nostra crescit. 1. Timoth. 1. v. 18. Milita bonam militiam. Ea verò, quæ negligit, non proficit sed deficit, spiritum extinguit, & quæ acceperat dona iterum amittit. Matt. 25. v. 29. Omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, id quod videtur habere, auferetur ab eo.

135. Modus autem regenerationis nostræ, quo arbitrium in nobis sanatur,

natur, is est: primum, S.S. ex mente removet tenebras, dubitationes & diffidentiam, & ex voluntate & corde tollit contumaciam & rebellionē. 136. Et hac est illa cordium circumcisio & cordis lapidei ablatio, quam Prophetæ tantoperè commendant. Deut. 30. ver. 6. Circumcidet Deus cor tuum, & cor seminis tui ut diligas. Ezech. 11. v. 19. & 36. v. 39. Auferam cor lapideum de carne vestra.

137. Deinde novam in mentibus lucem accendit, & voluntatem ad obediendum flectit, & novos cordi motus inserit.

138. Et hac est illa novi ac mundi cordis creatio, & cordis carnei donum, à sanctis hominibus tantoperè desideratum & expetitur. Ezech. 11. v. 19. Dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent. Ezech. 36. v. 26. Dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri. Psal. 51. v. 12. Cor mundum crea in me Deus & spiritum rectum innova in visceribus meis. Luc. 24. v. 32. Nonne cor nostrum ardebat. 45. Tunc aperuit sensum. Act. 16. v. 14. Dominus aperuit cor Lydia.

139. Sic igitur in renatis est aliqua arbitrii rectitudo & ad benè agendum libertas, tam in rebus spiritualibus quam externis: in his ex natura, in illis ex gratia. Possunt enim Deum agnoscere, voluntatem ejus intelligere, approbare & perficere: sed cum gratia Dei. 1. Cor. 15. v. 10. Gratia Dei sum id, quod sum. Phil. 1. v. 6. Qui cæpit in vobis, &c. Ph. 2. v. 12. Cum metu & tremore vestram salutem operamini, Deus enim est, qui operatur, &c.

140. Et quia intelligunt, quænam vera sit virtus, & serio pietatis studio flagrant, in actionibus moralibus & externa disciplina præstanda, non renatos longè antecire, & magis quàm illi, inculpatè vivere possunt.

141. Sic igitur amissam & extinctam arbitrii libertatem, & ad benè agendum facultatem, in rebus spiritualibus recuperamus, non aliquo nostro studio vel merito. Eph. 2. v. 3. Eramus natura filij iræ: sed gratia Dei. 2. Cor. 12. v. 9. Sufficit tibi gratia mea: merito Christi. Joh. 8. v. 36. Si filius vos liberaverit, verè liberi estis: & efficacia. S.S. 2. Corin. 3. v. 17. Ubi spiritus Domini, ibi libertas.

142. Iisdem quoque causis conservatur, sic tamen ut gratiam non negligamus, 1. Tim. 4. v. 14. Gratiam Dei resuscitemus. 2. Tim. 1. vers. 6. & gratia:

gratia Dei non desimus. Heb. 12. v. 15. & in libertate stemus, qua Christus nos liberavit. Gal. 5. v. 1. Spiritui sancto non resistamus. Act. 7. v. 51. Non secundum carnem ambulemus. Roman. 8. v. 7. sed spiritu Dei duamur. Gal. 5. v. 18.

143. Merito autem detestamur, Manichæorum furores sentientium quosdam homines  $\chi\alpha\iota\tau\acute{o}\varsigma$  &  $\delta\lambda\iota\kappa\acute{o}\varsigma$  esse, qui prorsus  $\alpha\lambda\lambda\omicron\iota$  sint & nullo modo converti possint, ideoq; necessario malè agant.

144. Quorum delirio affinis est eorum error, qui sentiunt aeterno quodam Dei decreto sic reprobatos esse nonnullos, ut non tam sua ipsorum culpa, quàm occulto quodam divina reprobationis decreto inter eos prædicatio verbi & administratio Sacramentorum inefficax sit.

145. Nec illi sanam doctrinam retinent, qui primam hominis conversionem partiuntur inter spiritum sanctum & hominis arbitrium: quemadmodum in aliquo habitu producendo suas sibi partes vendicant, ars, natura & exercitatio.

146. Pontificij autem cum de hominis corruptione non rectè sentiant, neq; de regeneratione eiusdem rectè sentire possunt.

147. Sentiunt enim lapsu primorum parentum dona supernaturalia tantum amissa esse, quibus tanquam aureo freno, pars hominis inferior superiori, & superior Deo subiecta continebatur. Bell. lib. 1. de gratia primi hom. c. 5. Naturalia autem mansisse integra, non solum quoad  $\nu\omicron\iota\alpha\upsilon$ , verum etiam quoad  $\delta\upsilon\upsilon\alpha\upsilon\iota\upsilon$ : quæ tamen inclinata sit & extenuata, ut arbitrij vires ad benè agendum quidem læsæ, non autem extinctæ. lib. 6. de grat. & lib. arb. c. 15. peccato ligentur & impediuntur.

148. Eam igitur arbitrio conditionem tribuunt, qualis est hominis in carcerem compacti, qui constrictus compedibus prompta incedendi facultate uti: aut a vicula; quæ in caveam conclusa satis idoneas vires ad volandum exerere non potest.

149. Nequaquam igitur  $\alpha\delta\upsilon\upsilon\alpha\upsilon\iota\upsilon$  rectè iudicandi & eligendi in mente & voluntate in rebus spiritualibus agnoscunt, sed vivam  $\delta\upsilon\upsilon\alpha\upsilon\iota\upsilon$ , peccato tamen ligatam & impeditam, quò minus exerere se possit. Natura infirma, inquit B. li. 5. de grat. & lib. arb. c. 6 potest omnia quæ posset facere, sed non sola. Eget enim auxilio, quo non egeret si esset sana: quemad-

modum homo agrotus potest iter facere, sed in equo vel cum baculo.

150. Gratiā autem, (quæ sit divina qualitas in anima inherens,) infundi sentiunt, ut ligatas & torpentes arbitrij vires solvat & excitet, fractas & attenuatas confirmet, & inclinatas erigat, sic ut primum conversionis momentum, arbitrium cum gratia communi habeat.

151. Quamvis igitur necessitatem gratiæ magnificè prædicent, sub illis tamen gratiæ præconijs manifestum Pelagianismum defendunt, nihilo præclarior, de auxilio gratiæ sentientes, ipso Pelagio.

152. Quemadmodum enim is naturam ad benè agendum sufficere sibi iudicabat, gratia autē opus esse, ut eò melius natura benè agere posset. Concil. Milev. can. 5. Ita Pontificij agnoscunt adhuc in corrupta natura vires ad benè agendum idoneas, sed non sufficientes: Ideoq; auxilio gratiæ, quo natura adjuvetur, opus esse dicunt.

153. Hinc illa vox Bellar. ipso Pelagio digna, hominem ante omnem gratiam habere potentiam (sed remotam & imperfectam) ad opera pietatis faciendā: quæ perficiatur accedente gratia, quemadmodum potentia videndi in oculo, accedente aliqua specie sensibili. lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 15.

154. Hac observata non solum magnam afferunt lucem controversiæ de libero arbitrio, cum Pontificijs: verum etiam aperiunt fontem totius idolomanie Pontificiæ: qui est, quod arbitrij viribus nimium tribuitur, ut locus aliquis humanis meritis relinquatur.

155. Superest nobis dicendum de statu gloriæ, is est conditio illa, in qua futuri sunt electi, in altera vita illa beata, cuius ratio quamvis nobis, iam quasi per transennam conspiciatur, nec plenè cognita sit: Certum tamen est, maiorem arbitrij perfectionem ibi futuram, quàm in prima creatione fuit.

156. Non solum enim ibi regenerationis nostræ opus omnibus suis numeris absolvetur, hoc est, mentibus, voluntatibus, & cordibus, adeoq; omnibus viribus & facultatibus, arbitrij naturæq; nostræ & laxiæ suæ, plenè restituetur, (unde Aug. de Civ. l. 14. c. 11. arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitijs peccatisq; non servit.) verum etiam in illa laxiæ sic confirmabimur, ut ab ea in æternum dimoveri non possimus.

157. Quem-



157. Quemadmodum enim angeli boni in veritate confirmati sunt, ut malos spiritus, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, Jude. v. 6. imitari & à Deo conditore suo deficere nolint; unde quoque electi angeli vocantur. 1. Tim. 5. v. 21. Sic arbitrium hominum electorum (qui futuri sunt ἰσάγγελοι. Matt. 22. v. 30.) in rectitudine sua confirmabitur, ut nulla specie boni objecta, decipi & seduci amplius possit. 2. Pet. 3. v. 13. Novos cælos & novas terras expectamus, in quibus justitia habiter.

158. Sic igitur ex consideratione objectorum & diversorum hominis statuum arbitrii rectitudo vel pravitas estimari potest. Usus autem hujus doctrinae paucis perstringemus: neque enim illa pertinet inter stultas illas, vanas, & inutiles quaestiones, quas Apostolus vitare jubet. Tit. 3. v. 9. quod nihil faciant ad edificationem. 1. Tim. 1. v. 4. sed inepta sint. 1. Tim. 4. v. 7. & tantum lites generent. 2. Tim. 2. v. 23.

159. Etsi verò usus hujus doctrinae latissimè patet, potissimum tamen huc referri debet, ut virium nostrarum infirmitatem agnoscamus, quæ tanta est, ut nihil quicquam boni ex nobis velle vel cogitare queamus. 2. Cor. 3. v. 5. Phil. 2. v. 13. quæ agnitio omnem in nobis spiritualem superbiam retundit ac reprimat.

160. Deinde, ut intelligamus initium, progressum, & finem nostræ conversionis, adeoque quicquid à nobis proficisci potest, Deo gratum & acceptum, ejusdem quoque gratiæ & donationi acceptum ferendum esse, Ph. 4. v. 13. Omnia possum per eum, qui me confortat, quæ consideratio vehementer calcatur est ad studium pietatis, precum, & gratiarum actionis.

161. Demùm, hæc doctrina prodest ad vitandas pravas & perniciosas opiniones, Manicheorum & Pelagianorum, veterum & recentium; ne tribuamus, vel Deo, quod est à Diabolo, peccato aut mendacio: vel nobis ipsis, quod est solius Dei.

Δόξα τῷ Χριστῷ, τῷ ἐλευθερώσαντι ἡμᾶς ἀπὸ  
δικταίας τῆς ἀμαρτίας.

Errata. Th. 38. lege sanctus. 68. legumlatores. reliqua paucula sunt ἀντιστοιχί-  
μενα.

ad 6



99 A 6906

ULB Halle 3  
002 633 388




52

6

VD17

Rehe 0







13

...tatio Theologica,

DE

*...O HOMINIS, EJUSQ;  
...ertate & viribus;*

Cujus subjectas theses  
Deo benè juvante,

P R Æ S I D E

**E MOLTHERO**

**OGIAE DOCTORE ET**  
...erarum in inclyta Academia  
Professore; pro virili respon-  
propugnare studebit

*HARDUS MESOMY-*  
*Vetteranus Hassus.*

...eologico VI. nonas Julii, hora consueta.



*...ypis Pauli Egenolphi. 1596.*

*Ans Hi 6*